NEUNTER

JAHRES-BERICHT

DES

LANDSCHAFTLICHEN

REAL-GYMNASIUMS

ZU

LEOBEN.

Guggenberger

BUCHDRUCKEREI J. VOGL IN LEOBEN

1875

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

16 S '14

INHALT.

CONIECTURAS ALIQUOT
a Ricardo Bentleio in Horati Epodon librum propositas

examinavit

JOSEPHUS GUGGENBERGER.

Inter magnos illos philologos, qui saeculo decimo octavo excelluerunt, tamquam sidus clarum splendet Bentlei nomen, qui litterarum antiquarum studia et in eam deduxit viam, qua progredi oportet eruditae antiquitatis studiosos et diligenter subtiliterque inquirendo mirum quantum amplificavit atque auxit. Etenim cum iam adulescens (a. 1691) in epistula, quam ad Millium misit, et ingenii et doctrinae praeclara edidisset documenta, mox in orationibus sacris, quas turba undique confluente habuit, eximiam ostendit philosophiae antiquae scientiam. Deinde cum Graevius Callimachum edendum suscepisset, optime meritus est Bentleius de poëta illo fragmentis, quae nondum collecta erant, undique congestis. Atque eodem anno (1697) commentationes luculentissimas conscripsit de epistulis vulgo Phalaridi, Themistocli aliisque tributis, quibus eas ab hominibus fraudulentis inferioris aetatis fictas esse docuit et dissertationem de fabulis Aesopicis. Anno 1710 specimina critica in Aristophanis comoedias edidit et Menandri Philemonisque fragmenta a se emendata, quae postero anno secuta est celeberrima Horati editio et post quindecim annos editiones Terenti et Phaedri haud minoris pretii.

Quibus operibus si addideris animadversiones in plurimos scriptores veteres, disquisitiones de permultis

rebus grammaticis, veluti de digammate Aeolico, denique haud paucas explanationes ad historiam antiquam, mythologiam aliaque id genus spectantes, facile intelleges, eum non solum suae aetatis hominibus doctis admiratione visum esse dignissimum, sed et nobis et posterioribus eundem semper visurum esse.

Ante omnia autem Horati editioni plurimum tribuunt viri docti neque immerito, cum commentarii, quibus eam ornavit vir eximius, referti sint et coniecturis et interpretationibus acutissimis.

Quam ob rem, cum hoc anno mihi obtigisset munus pauca conscribendi, quae praemitterentur annuis actis scholae nostrae, in animum induxi, ut quasdam coniecturarum illarum, quas Bentleius in Horati Epodon librum proposuit, recenserem et quantum in me situm est, refellerem brevitate usus quam maxima.

Coniecturae vero, quas examinare cogito, hae sunt:

IV. v. 17 sq. Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere etc.

Hoc loco Bentleius vocabulis „ora navium“ offensus ad Julium Scaligerum provocat, qui locum his verbis vellicat: „Nescio, an „ora“ dicamus navium recte, quia et rostrum: nam sane rostrum triremibus est, os non est.“ Et ipse se apud neminem poëtarum „os navis“ reperisse neque tam insolentem metaphoram excusare, nedum admirari posse profitetur. Propter ea „ora“ cum voce „aera“ commutare vult, ut „aera rostrata“ idem sit ac „rostra aerata,“ vel ut in illo Vergili (Aen. IX, 121 et X, 223): „Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.“ Rostra enim aere, pergit Bentleius, munita fuisse notissimum est, unde Graecis naves χαλκέμβολοι „ahenirostrae“ vocatae sunt.

Sed num recte de hoc loco iudicaverit vir egregius, ego quidem dubito ac primum haud iniuria Bosius offendit in illo, quod coniectando restituit Bentleius „aera rostrata,“ cum vocabulo „aera“ nihil aliud,

nisi rostra significentur, veluti in notissimo versu Vergili Aen. I, 35: „Spumas salis aere ruebant.“ „Ora“ autem aptissime positum est pro „prorae,“ quia naves, cum proelium committitur, eodem modo proris oppositis contendunt, quo homines dimicaturi congrediuntur. Adde, quod navis rostrata simillima est avi, quae rostro suo hostem aggreditur. Quae cum ita sint, quis, quaeso, elegantem hanc imaginem reiciat χρύσεα, ut proverbio utar, χαλκείων ἀμειβόμενος?

VII. v. 11 sq. Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.

Sic in omnibus melioribus codicibus legitur. Sed Bentleius codicum scripturam reiecit et cum editione Veneta anni 1490 „Nunquam“ recepit atque eum novissimis temporibus secuti sunt Hauptius, Meinekius, Linkerus. Lectionem autem illam ita constituit, ut post „leonibus“ commate interpungat hac interpretatione adiecta: „Ne lupis quidem et leonibus hic mos est, qui nunquam feri et saevi sunt, nisi in animal dispar. Lupus enim in lupum et leo in leonem mitis est et innocuus.“

Concedendum quidem est Orellio ceterisque, qui vulgatam tuentur lectionem, eam quodam modo explicari posse, sed Orellius etiam negare ausus non est, vocabulum „feris,“ quod vulgata lectione comprobata nihil aliud est, nisi epitheton aliquanto otiosius adiectum, a iuvenili tantum poëtae aetate aliquam habere excusationem. Verum quis credat, Horatium tam perversum fuisse, ut otiosum illud epitheton cum tanta vi in fine versus poneret neque vero adsentiar dictitanti, „nunquam“, quod praebet editio Veneta, merum esse operarum errorem. Quid enim impedit, quo minus eam coniecturam felici cuidam ingenio tribuamus? Sed utut est, profecto gratiae agendae sunt Bentleio, quod lectionem illam ex editione vetere eruit atque Horatium foeda liberavit macula. Quod autem Orellius dixit, lectione „nunquam“ recepta pro

perfecto requiri tempus praesens, id profecto nihili est. Nam primum illud „fuit" aoristi graeci more positum est ita, ut non multum diversum sit a simplici „est"; deinde quid vetat, ne „nunquam feris" interpretemur „qui nunquam fuerunt", si eandem huic verbo quae est in superiore „fuit" tribuimus significationem?

X. v. 7. sq. Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

Bentleius ad hunc locum in commentariis haec adnotavit: „Equidem „vertit" vel „sternit" vel simile quid dixissem potius, quam bis (cf. v. 6 „Fractosque remos differat") continenter idem verbum inculcassem."

Atque eadem verbi „frangere" repetitio offensioni fuit Wakefieldio, qui pro „frangit" coniecit „plangit", receptum illud a Bothio in editione sua. Verum equidem non multum tribuerim eius modi animadversionibus, sed in lectione recepta omnino quiescendum existimo. Etenim aut imprudenti excidit illud Horatio, id, quod permultis ex omnibus scriptoribus depromptis exemplis comprobari potest aut statuendum est, cum in hoc carmine, ut in omnibus fere Horati carminibus quattuor versus unam efficiant stropham et versus alter versui quarto respondeat, Horatium in initio amborum versuum idem verbum cum vi quadam posuisse.

Ibid. v. 21 sq. Opima quodsi praeda curvo litore
Porrecta mergos iuveris.

„Porrectum" nostro loco est „extentum longeque stratum." Sed Bentleius, qui hoc in loco offendit, interrogat: „Quid mergorum intererat, utrum „extentus", an incurvatus et quidem quadrupes constrictus iaceret? Nam utcumque, opinor, positi cadaveris rimari et lacerare viscera potuerunt." Quam ob rem reiecta lectione „porrecta" potius „proiecta" ab ipso Horatio profectum esse multis exemplis undique collatis com-

probare studuit atque persuasit Linkero, qui coniecturam illam in verborum ordinem recepit.

Lectioni a Bentleio receptae favet quidem codex Bernensis quartus, in quo „proiecta“ claris litteris exhibitum est. Verum tamen nullo modo adsentiri possum viro doctissimo, nam „porrecta“ aptissimum est huic loco, cum indicet, Maevium suffocatum in mari ad litus eiectum esse atque ita illud, quod praecedit „opima praeda“ explicet. Deinde cui non in mentem venit Homericum illud „μοῖρα τανηλεγέος θανάτοιο“?

XVI. v. 65 sq. Aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

Sic in omnibus melioribus codicibus legitur. Sed Bentleius in nonnullis, in quibus est Leidensis, Reginensis, Magdalenensis e. ct. „aerea“ invenit, quam lectionem recipiendam putavit. „Dehinc“ tum, ut vir doctissimus animadvertit, unicam syllabam facit, ut Verg. Aen. IX, 480: „Caelum dehinc questibus implet“ et Ovid. Fast. VI. 788: „Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.“ „Sed multo maius offendit vir egregius in vocabulo „quorum“, quod recepta lectione „aerea“ ad saecula aerea referas oportet. Atqui haec scribente Horatio „ferrea“ aetas iam diu processerat. Hanc igitur difficultatem, ut Bentleius existimat, Graevius sustulit, qui, ut Heinsius in libri sui margine memorat, sic legebat: „Quorsum Piis secunda vate me datur fuga“, ubi „quorsum“ sic explicabat „ad quae litora, ad quae beata arva et divites insulas.“ Meliorem autem loci sanandi rationem Bentleius sibi invenisse visus est proposito „quo nunc“, quod tamen proposuit solum, sed non in orationem recepit.

Verum omnia, quae de hoc loco disputavit vir eximius, mihi se non recte habere videntur. Etenim quid obstat, quo minus statuamus, Horatium, ut singulos humanae aetatis gradus significaret, vocabulum „aere“ repetiisse et cum „ferro“ coniunxisse? Qua re vivida profecto oculis nostris oboritur imago generis

humani gradatim in deterius labentis. Adde, quod Meinekius in praefatione, ubi de hoc loco disputavit, rectissime animadvertit, „aerea dehinc“ reiciendum esse, quoniam Horatio „dehinc“ nunquam est monosyllabum vid. Sat. I. 3, 104; 5, 97, Epist. II, 3, 114. Ceterum quod attinet ad vocem „quorum“ immerito vexatam a Bentleio, profecto non intellego, cur tantas ille sibi difficultates paraverit. „Quorum“ enim aperte referendum est ad saecula ferrea, quorum ex turbis servare vult poëta cives suos consilio fugae ad insulas fortunatas proposito.

XVII. v. 21 sq. — — — — verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida.

Bentleius hoc loco destringit servile quorundam ingenium, qui melius peius, iure iniuria quidvis defendunt, quod a magno auctore profectum credant. „Verecundus color“, inquit, est rubor. Id quidem sine controversia est. „Rubor“ ergo „reliquit ossa.“ Qui pote, ut locum relinquat, ubi nunquam fuit? Quis „rubra ossa“ vel fando audivit? Quod si stulte contendat quispiam, ossa vivi hominis rubere: at ossa hominis aegroti, qualem hic se describit Horatius, haud minus rubent, opinor, quam sani. Deinde dici quidem posse contendit „calor reliquit ossa,“ veluti Verg. Aen. III. 308; „Diriguit visu in medio, calor ossa reliquit“ et ibid. IX, 475: „Subitus miserae calor ossa reliquit“, sed non „color reliquit ossa.“ Qua re pro „ossa“, quod omnes codices habent, vir ingeniosus „ora“ proposuit, quoniam rubor „ora“ non „ossa“ relinquat, quippe in ore solo sedem et locum habeat. Atque hanc sententiam variis testimoniis confirmare studet.

Verum quamquam Bentleio nuper adsensi sunt Hauptius, Meinekius, Linkerus, tamen vulgatam lectionem defendere non dubito. Nimirum in hoc loco brachyologia quaedam cernitur, quae haud raro in aliis etiam scriptoribus occurrit. Nam si locum ita

explicaveris: Verecundus color reliquit corpus, cuius nil restat, nisi ossa pelle lurida amicta, profecto non est, quod de huius versus genuinae forma dubites. Atque certissimum est, Horatium adludere voluisse ad proverbium quoddam, quod nobis servavit Plautus Capt. I. 2. 26: „Ossa atque pellis sum miser macritudine" atque eodem modo Graeci dixerunt: Αὐτὰ τὰ ὀστᾶ λοιπά ἐστί τινος καὶ δέρμα.

Ibid. v. 32 sq. — — — nec Sicana fervida
Virens in Aetna flamma; — —

Hoc loco codices varias lectiones praebent, vel „virens", vel „urens", vel „furens." Ac „virens" in optimis legitur codicibus, „urens" nonnulli libri exhibent non infimae notae, „furens" in paucis ac vilibus repertum est membranis. Harum igitur lectionum „furens" praefert Bentleius, hanc enim pulchram existimat habere translationem ab humano affectu et simul, ut fieri hic oporteat, ingentem flammae vehementiam ostendere et sententiam suam multis poëtarum Romanorum exemplis confirmare conatur. Bentleium secuti sunt Hauptius, Meinekius, Linkerus. Orellius autem, Peerlkampius aliique lectionem „virens", quae, ut supra diximus, optimorum codicum auctoritate nititur, tueri conati sunt, quamquam eam aliter alii explicarunt. Orellius igitur, ut ab illo initium faciam „virens" interpretatur de flammae sulfureae, qualem exhalat Aetna, colore inter gilvum viridem et caeruleum medio. Quae explicatio mihi quidem speciosior, quam verior esse videtur. Aliter sentit Peerlkampius, qui „virens" hoc loco idem esse dicit ac „fulgens" collato loco Plauti, qui est in Menaechm. V. 2, 76: „Viden tu illi oculos virere? Ut viridis exoritur colos ex temporibus atque fronte." Sed quam parum sufficiat locus ille ad demonstrandam quam vocabulo „virens" tribuit significationem Peerlkampius, non est, quod pluribus exponam.

Quae cum ita sint, non dubito ad illam inter-

pretationem accedere, quam iam olim propositam a Lambino novissimis temporibus nonnulli homines docti rectissime mihi defendisse videntur. Lambinus igitur dixit, „virentem flammam“ esse perpetuam, acrem, non languescentem. Impugnavit quidem eam interpretationem Bentleius dicendo: „Non, si aetas translatione a vernis floribus sumpta virere belle dicitur, idcirco etiam flamma, quae toto genere dispar est,“ sed mihi quidem non potuit persuadere. Nam si Homerus Il. IX, 212 dicere potuit φλὸξ ἐμαράνθη vel Ovidius Met. VII, 210 „flammam hebetare, cur non Horatio „virens flamma“ licebat dicere de igne Aetnae, qui nunquam exstinguitur? Adde, quod recepta lectione „furens“ idem, quod iam indicatum est epitheto „fervida“, significatur, lectione autem „virens“ novum atque egregium additur momentum. Unde quin illud „urens“ et „furens“ nil aliud sint, nisi glossae genuinae lectionis „virens“, nemo puto dubitabit.

